(1)-6

priuantia uerbis iis quae habent si in praepositum non fuisset. Vt dignitas.
Indignitas. humanitas. Inhumanitas. et cetera generis eiusdem. quorum
tractatio eadem quae superiorum quae diuersa dixi; Nam alia quoque sunt
contrariorum genera. ut ea quae cum aliquo conferuntur. Vt duplum simplum.
multa. pauca. Longum. breue. Maius. minus. Sunt etiam illa ualde
contraria quae appellantur negantia ea apofatika graece contraria
aientibus. Si hoc. illud non est. quid enim opus exemplo. tantum intellegatur
in argumento quaerendo contrarium omnibus contraria conuenire.
Ab iunctis autem posui equidem exemplum paulo ante. Multa adiungi
quae suscipienda essent si statuissem ex edicto secundum eas tabulas pos-
sessionem dari quas is instituisset cui testamenti factio nulla esset. Sed locus hic
magis ad coniecturales causas quae uersantur in iudiciis ualet cum quaeritur quid aut
sit. aut euenerit. Aut futurum sit. aut quod omnino fieri possit. Ac loci quidem
ipsius forma talis est. Ammonet autem hic locus ut quaeratur quid ante rem quid
cum re quod post rem euenerit. Nihil hoc ad ius. ad ciceronem inquiebat
gallus noster si quis ad eum quid tale rettulerat aut de facto quaereret. Tu tamen pa-
tere nullum a me artis institutae locum praeteriri ne si nihil nisi quod ad te pertineat
scribendum putabis nimium te amare uideare. Est igitur magna ex parte
locus hic oratorius non modo non iuris consultorum sed ne philosophorum quidem;
ante rem enim quaeruntur quae talia sunt. Apparatus colloquia locus con-
stitutum conuiuium. cum re autem. pedum crepitus. Strepitus hominum corporum
umbrae et si quid eiusmodi. At post rem. Pallor. Rubor. titubatio et si qua
alia signa conturbationis et conscientiae. Praeterea restinctus ignis. gladius
cruentus. Ceteraque quae suspicionem facti possint mouere. Deinceps est
locus dialecticorum proprius ex consequentibus et antecedentibus et repugnantibus.
Nam coniuncta de quibus paulo ante dictum est non semper eueniunt; Consequen-
tia autem semper. Ea enim dico consequentia quae rem necessario consecuntur.
Itemque et antecedentia et repugnantia. Quicquid enim sequitur quamque rem.